



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Onvphrii Panvinii Veronensis Fratris Eremitae
Augustiniani. De Praecipvis Urbis Romae
sanctioribusq[ue] basilicis, quas Septem ecclesias uulgo
uocant, Liber**

Panvinio, Onofrio

Romae, 1570

De oratorio S. Pauli ad tres fontes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11316

DE VII. VRBIS ECCL. 89

pro Christi fide VII. idus Iulij cæsi sunt. s. Zeno martyr, & cum eo decem millia ducenti tres Christiani: quorum ossa in proximo cœmeterio sub sacello rotundo & deuotissimo, quod s. Mariæ scala celi, modo dicitur, requiescunt. Cuius dedicatio celebratur VI. Kal. Februarij. Vbi est altare cū operculo marmoreo quattuor pretiosis columnis sustentato, sub quo iacent corpora sanctorum martyrum. In oratorij absida musivea, extant signa, beatæ virginis Mariæ, & sancti Zenonis. In hac ædícula sepe s. Bernardus dum in Vrbe moraretur, sacra pro defunctis celebrabat. Quibus dum aliquando operaretur, in mentis ecstasim raptus, scalam uidisse fertur, qua e purgatorij igneis pœnis animæ eius suffragijs liberatæ, in cælis ab angelis deducebantur. Hinc sacræ illi ædiculæ, Scælæ celi nomen indutum.

Præcandi formula.

Pater noster. Aue Maria. Antiphona. Tamquã aurũ in fornace probauit electos dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum, quoniam donum & pax est electis dei. Vers. Iusti in perpetuum uiuent. R. Et apud dominum est merces eorum. Oratio. Deus, qui es gloriosus in gloria sanctorum, & cunctis ad eorum patrocinia cõfugientibus, suæ petitionis salutarem præstas effectum, concede nobis, ut intercedentibus sanctis martyribus tuis Zenone & socijs decemmillibus ducētis tribus, æternæ beatitudinis præmia consequamur. Per dominum.

De Oratorio s. Pauli ad Tres fontes.

Hic locus antiquitus Massa aquæ saluiæ dicebatur. (Saluia porro gens Romæ nobilis, quæ Oibonẽ Imperatorem

torem

90 ONVP HRIVS PANVIN.

torem tulit, huic loco nomen dedisse potuit. Eratque possessio (quam massam uocabant) iuris monasterij s. Pauli, ut ex marmoreo diplomate B. Gregorij Papæ, porticus s. Pauli parieti affixo, liquet. In quo s. Gregorius aperte sentire uidetur, beatum Paulum apostolum hoc in loco, pro Christo fuisse decollatum, cum ait: Valde incongruum esse, ac durissimum uidetur, ut illa specialiter possessio non seruiret beato Paulo apostolo, in qua palmam sumens martyrij, capite est truncatus, ut uiueret. ita ille. Ibi ædificata sunt tria sacella, alterum altero depressius, cum tribus fontibus, a quibus tota ecclesia Trium fontium appellationem obtinuit. Vbi magnæ sunt ex Pontifici concessione peccatorum ueniæ.

Precandi formula.

Pater noster. Aue Maria. Antiphona. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius. Vers. Tu es uas electionis sancte Paule apostole. Resp. Prædicator ueritatis in uniuerso mundo. Oratio. Deus qui uniuersum mundum beati Pauli apostoli prædicatione docuisti, da nobis, ut qui eius commemorationem colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per dominum nostrum.

De Ecclesia s. Mariæ Annunciatæ.

Ecclesia s. Mariæ Annunciatæ ad tertium ab vrbe lapidem, in septem ecclesiarum uisitatione, pietatis studio etiam adiri solet, multis olim reliquijs referta. Hæc ecclesia satis antiqua, est sub cura & protectione sodalitatatis